



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Indictio, Acta & Decreta Synodi Diœcesanæ
Paderbornensis**

Diözese <Paderborn>

Nevhvsii, [1688]

Tit. XII. De Festis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36013

6. Siquæ sacræ tabulæ Imaginesve, nimiâ vetustate, carie, situ aut sordibus penè deletæ tam indecenti aspectu sint, ut contemptum potius quam venerationem excitent, eæ piè religioseque restaurantur ab ijs, quorum interest: aut si id fieri nequeat, omnino deleantur, aut extra populi conspectum ponantur.

7. Sanctarum Imaginum usus & cultus sicut vetustissimus est, Ecclesiæ nascentis consuetudine introductus, oecumenicorum conciliorum decisionibus firmatus, & sanctorum Patrum consensione stabilitus, aptissimus etiam ad rudes & imperitos fidei mysterijs imbuendos, ad sanctorum virtutes recolendas & ad imitationem proponendas, ita nobis ex Officio diligenter est advigilandum ne pravis consuetudinibus & abusibus, violetur & depravetur earum forma & habitus. Ut igitur omnis sæcularis vanitas, levitas, vel inusitata quælibet forma Imaginum aut statuarum ornatus à Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ moribus alienus deinceps caveatur, volumus omnino, & districte jubemus ut exactè ea quæ tum sacrosancta & oecumenica Synodus Tridentina de sacris imaginibus tūm fel. record. UR BANUS Papa VIII. peculiari hacsuper re editâ constitutione, gravibus in transgressores pœnis constitutis fancivit obseruentur.

8. In exponendis sanctorum Imaginibus studiosè diligenterque curandum est, ut prototypis, quæ per illas repræsentantur juxta veritatem historiæ ac receptam & probatam Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ traditionem, quo ad fieri potest, simillimæ sint.

9. In pavimento sanctorum Imagines vel Cruces deinceps non pingantur, nec ubi clavis transfigi poterunt, vel uligine pluviaque deleri, vel deformari. Et licet in muro ex vivo politoq; lapide constructo sacræ possint historiæ, nisi quid aliud obstat, exprimi, non tamen in muro vel pariete, qui argillâ vel calce incrustatus est, nam ejusmodi in crustatio perfacile decidit & pictas deformat Imagines. Suademus autem ut paries aut murus hujusmodi telâ lineâ tabulisve politis artificioseque compactis tegatur, & sic picturis exornetur.

T I T U L U S X I I .

De Festis.

Festos dies vel Dei ipsiusmet iussu, vel auctoritate Ecclesiæ, aut legitimi Magistratus institutos religiosè celebrandos esse, exemplo nos suo optimus Magister noster Encœnia celebans docuit. In nova etiam lege dies Christo salvatori, ejusque Matri & Angelis, nec non alijs sanctis dicati solemnî ritu observandi sunt. Obeant itaque omnes, & servent festos dies quos vel universus Christianus orbis, vel Diœcesis nostra ex antiquâ consuetudine, vel pia Prædecessorum nostrorum constitutione ad celebrandas Dei, & sanctorum laudes sacros habet. De quibus ut constet omnibus eorum numerum hic subjungere placuit.

I. Sunt autem ista præter dies Dominicos,

Festum Nativitatis C H R I S T I .

S. Stephani Protomartyris,

S. Joannis Apostoli & Evangelista.

SS. Innocentum,

S. Sylvestri Pape.

Circumcisionis Domini.

Epiphaniæ.

Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

S. Matthiæ Apostoli.

S. Josephi Nutritii Salvatoris.

Annuntiationis B. Mariæ Virginis.

Festum

Festum Paschæ cum feria 2. & 3. sequentibus.

SS. Philippi & Jacobi Apostolorum.

Inventionis S. Crucis.

Festum Ascensionis Domini.

Festum Pentecostes cum feria 2. & 3. sequentibus.

Trinitatis.

Corporis Christi.

S. Joannis Baptiste.

SS. Petri & Pauli.

S. Liborij Episcopi & Patroni Diœcesis.

S. Jacobi Apostoli.

S. Annæ Matris Beatissimæ Virginis Mariae.

S. Laurentij Martyris.

Affumptionis Beatæ Mariæ.

S. Bartholomæi.

Nativitatis Beatæ Mariæ.

S. Matthæi Apostoli.

S. Michaëlis Archangeli.

SS. Simonis & Judæ Apostolorum.

Omnium Sanctorum.

S. Andreæ Apostoli.

Dedicationis Ecclesiæ.

Et Patroni cuiusvis Parochiæ.

2. In prædictis Festis, nec non alijs Patronorum Parochialium Ecclesiarum principalibus Synodus interdicit, omnibus suæ Diœcesis Christi fidelibus opera manualia & sœcularia quæcunque, mercatum item & forum rerum venalium atque judicialia exerceri. Si quis autem huic ordinationi contravenerit mulctabitur pœnâ pecuniariâ.

3. Si forum aut nundinæ incident in Festum aut Dominicam, illæ serventur immediate post Festum aut Dominicam.

4. Et verat Synodus omnibus Magistratibus & sœularibus Judicibus, ne cuiquam ex omnibus prædictis festis violandi seu profanandi licentiam concedant, sed eos, qui ab ipsis licentiam hujusmodi requirunt, ad nos vel Vicarium nostrum aut Pastorem in gravi necessitate remittant, alioqui contra eos tanquam Synodalium statutorum transgressores & alias prout de jure, procedatur.

5. Quoniam S. Liborius Episcopus Patronus est Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & totius Diœcesis Paderbornensis: ideoque per totam Diœcesin meritò venerandus, ordinat Synodus, ut 23. Julij quo ex hac vitâ ad immortalem migravit per Civitatem & totam Diœcesin nostram, ut hæc tenus factum, in foro & in choro tanquam duplex in omnibus Ecclesijs & Monasterijs, similiter etiam Festum Patroni singularum Ecclesiarum tanquam duplex celebreretur.

6. Meminerint exempti omnes etiam Regulares Decreti Concilij Trid. quo dies Festos, quos in Diœcessu suâ servandos Episcopus præcepit, ipsi quoque servare jubentur.

7. Pastores singulis diebus Dominicis sub concione dies Festos & jejunia, eâ septimanâ occurrentia populo denunciare non omissent.

8. Diebus Dominicis aut festivis tempore concionis, summi facti vel vesperatum in tabernis potitantes, aut publicis lusibus vel tripudijs vacantes denuntientur, pro qualibet personarum vel modo scandali puniendi.

9. Maxi-

9. Maximam in servandis Dominicis & Festis diebus negligentiam, ut populus corrigat, concionatores sc̄ep̄e moneant, explicantes ad quæ istis diebus agenda omittendaque obligentur, gravitate inque transgressionis exponentes.

10. Ac ad dies Festos, qui præcepti sunt præter Dominicum diem, pari veneratione, cultu & Religione celebrandos : ijsdemque Festis ad sacrosanctum Missæ officium audiendum sub periculo peccati mortalis omnes Christifideles obligari nec licere ante finem discedere, frequenter inculcent.

11. Quin & aliæ ex constitutione B. PII. V. Pontificis pœnas in festorum violatores constitutas populo graviter inculcent, quo fine eam hic libet suis verbis adscribere. Cùm dierum (inquit) Festorum observatio ad Dei cultum maximè pertineat, & in lege divina præcipiantur, cupientes abusus pravos, qui ex eorum inobservantiâ invaluerunt, omnino corrigeant, & antiquorum Canonum statuta renovantes mandamus, ut omnes dies Dominicæ, & præcipue in honorem Dei, Beatae Mariæ Virginis, sanctorum Apostolorum feriati cum omni veneratione observentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesiæ frequentent, divinis Officijs devotè intendant, ab omni illicito & servili opere abstineant, mercatus non faciant, profanæ negotiaciones & Judiciorum strepitus conquiescant. Qui verò in diebus Præfatis opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit, præter divinam ultionem, graves pœnas incurret arbitrio nostro seu Vicarij nostri aut Archidiaconorum infligendas.

12. Ut improba hominum cupiditati modum ponamus, serio prohibemus, ne impostatum ullis in locis Spirituali nostræ Jurisdictioni subjectis diebus Dominicis, aut alijs fori festivitatibus mercatus (nisi forte rerum ad quotidianum victimum necessariarum) instituantur, aut ne subditi nostri ulti operi servili, quod sine evidenti periculo differri potest, manum admoveant. Caveant igitur pannos lanceos vel lineos lavare vel dealbare, tingere oves, porcos vel boves matare aut falire : frumenta aut ligna equis & curribus vehere, merces etiam suas dictis diebus Dominicis vel festivis ante fores, vel in fenestrâ domorum, vel alibi venales exponere. Transgressores autem hujus nostræ inhibitionis Pastores, & animarum Curatores pro ratione delicti gravissimè puniendos denuncient.

13. Mandamus quoque locorum Magistratibus, ut à strepitu judiciotum imprimis ipsi abstineant, neminem tunc citent, vel citatum audiant, & sub pœnis arbitrio ipsorum imponendis prohibeant, nec uspiam Dominicis, aut festivis diebus, Circulatores, Histriones, Comœdos, exhibere Comœdias, spectacula ludicra ac tripudia publica, quibus populus Christianus astu & suauitatem demonis à festis Religiōsè colendis, templorum visitatione, vesperarum Officio, audiendâ concione & doctrinâ Christianâ avocatur, adeoque Christo suus honos intercidit, ullo modo patiantur.

14. Parochi verò ac divini verbi Präcones opifices, agricultas & quoscunque alios operarios diligenter moneant, & sc̄ep̄iūs inculcent per annum, ne deinceps ex perversa quorundam consuetudine audeant Dominicis, vel festivis diebus etiam verno, vel autumnali tempore agros colere, seminare, aut Messis tempore fruges colligere &c. nisi de speciali licentiâ nostrâ, vel nostri in Spiritualibus Vicarij Generalis, exceptâ gravi & urgente necessitate.

15. Proinde ut populus Dei à commissariis, portationibus, otio, rebus vanis & noxijs ad salutis æternæ congrua negotia revocetur, & ad preces præsentissima pietatis ac spei cœlestis fomenta crebrius excitetur, easque frequentet, hortamur in Domino Pastores omnes, & obsecramus, ut singulis Dominicis, & festis diebus cultum Dei in Templis potissimum à prandio interficiant, & vesperas suo cum custode & scholaribus juxta ritum & normam Breviarij Romani decantare studeant.

16. Festum S. Marci, si in diem Paschæ vel ejus hebdomadam aut Dominicam in albis inciderit, à Clero in choro primâ feriâ post dictam Dominicam Officio novem lectioñum non impedita celebretur sine Procesione, jejuno & abstinentiâ à carnibus, Litaniarum processio & statio servetur ipso die, quo occurrit, uti moris est : Si verò in aliam quamlibet Dominicam inciderit, tam festum, quam Litaniarum processio eadem ipsâ die Dominicâ à Clero sc̄eculari, & populo sine abstinentiâ instituatur.

TITU